

Q241

U
A
L
B
S



77

DECANUS
COLLEGII PHILOSOPHICI
in Academia
LIPSIENSI

Lectori benevolo

S. Pl. dicit,

ab eoque, ut Orationi

de Germanorum Eloqventia

Politissimi Juvenis

SEBASTIANI OHEIM

d. 14. Maij hujus Anni M DC LXX.

interesse dignetur,

officiosè atq, amanter petita.


18.
22

DECANUS
COLLEGI PHILOSOPHICI

FIRSTEN

de Germanorum Mores

SEBASTIANUS



Vanquam non eadem reperitur in omni-
bus lingvis. *sv*avitas atque gratia: nulla tamen per
orbem est universum, quæ assiduâ tractatione non
duci se atque fingi in aliquem eloquentiæ vultum pa-
tiatur. Nam si quæ forte asperiore sono aures læ-
dit, aut confragoso literarum strepitu ipsis etiam loquentibus mo-
lestiam creat pronunciandi: eam tamen, non secus atque lapido-
sum & horrentem tribulis agrum, pertinax runcandi, &, ut sic
loquar, exossandi studium diligensque cultura emollit tandem, at-
que in latiore faciem vestit. Imò si cura hæc absit, ipsa dicendi
audiendive consuetudo difficultatibus inamœni sermonis mede-
tur, & ejus impolitiem subtrahit sensui. Nam sic & Rhetor De-
mosthenes, cum ita balbus esset, ut primam suæ artis literam non
posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus
putaretur *a*): & barbaram Turcarum nationem ferunt ad strido-
rem nescio quorum sibi familiarium organorum, quo quidem ni-
hil sit inconditum magis, similiter affici atque cultas gentes ad dul-
cissimi cantus modulamen *b*). Quis ergo miretur, ubi semel
quantumvis horrentes voces pati absque offensione aures didice-
runt, si in iis nitorem quoque & affectuum movendorum vim depre-
hendant? Quid quod ipsa eloquentia non eodem ubivis habitu se
ostendit? jam viriliter robusta, ut copias adversarii frangat; jam
):(2 mundo

a) Cic. I. de Oratore p. 108. *b*) Serosperonius in Dialogis Ita-
licè scriptis, Dial. delle lingue p. 94. *Mi ricordo, essendo una volta in Vene-
tia, ove erano giunte alcune navi de Turchi, udire in quella un romore di
molti stromenti, del quale ne l piu spiacevole, ne l piu noioso non udi mai alla
vita mia: nondimeno à coloro, che non sono usi alle delitie d Italia, pareo
quella una dolce musica.*

mundo muliebri ornata, ut per delicias obrepat: jam simplici
orationis atque laxo genere plebem erudiens; jam acutis senten-
tiis & brevilonguentiam gregi se approbans erudito: alias gravi ac
senili incessu auctoritati suae; alias scenicam subsultatione voluptati
serviens aliorum: est ubi mellitos verborum globulos, sesamoque
ac papavere sparsa dicta jaculari opportunum putet; est vicissim,
ubi ferrum grandinare, & lapides pluuere, si queat, velit. Quorum
ut illud optime praestiterit delicatae alicujus gentis lingua: ita hoc
non felicius assequetur, quam si durioris populi sermonem usur-
pet. Adeo nulla est lingua, quae, siquidem sibi relinquatur, omnes
eloquentiae imagines aequè commode induat, perinde ut ex instru-
mentis musicis alia praelio aptiora sunt, alia scenae & choreis. Rur-
sum neque tam sinistrum genium ulla gens habet, quin ad certam
facundiae gloriam intra suae regionis ambitum adspirare suis ipsa
viribus possit. Hebraea lingua ut omnium esse antiquissima rectè
judicatur, sic mundi recentis quondam simplicitatem demonstrat,
vel etiam, si Ludovico Viveti c) assentimur, infantiam. Psalmis
tamen Davidicis nihil usquam reperiri vel pondere sententiarum
gravius, vel luminibus figurarum distinctius, ejus linguae periti
confirmant nobis, haud dubie splendoris & gratiae plurimum con-
ciliante illis doctrinae caelestis copia: ut merito profanitatis damne-
tur à Victorino Strigelio d), hujus quondam Academiae Professo-
re, vox Politiani, Pindaricam lyram huic citharae praefertentis. Quid
Germanica nostra? Num illa non exiit hodie in ore nostro, siue pe-
destri sermone incedamus, siue numeros poeticos verbis illigemus,
horrorem aevi prisca? tam interim vi naturae suae robusta, ut mascu-
lam ejus fortitudinem, quandocumque causa jubet, exerere quea-
mus. Quare convicio illi comminiscendum, cum primos paren-
tes Deus laesae majestatis suae reos extruderet Paradiso, nostrate lin-
gua locutum esse, non rependemus commentum simile, quemad-
modum

c) lib. I. de verit. fid. cap. *Quod mundus esse aliquando coeperit p. m. 98.*
d) hypomn. in Psalm. 98. f. 442. *Non difficile intellectu est, quam pulchra lu-
mina eloquentiae habeant (Psalmi), quamque prophanus sit sermo Politiani, quae
interrogatus, quid de Psalmis Davidis judicaret? respondit, esse quidem po-
emata plena sapientia, sed à Pindaro res easdem dulcius narrari, & splendē-
dus illustrari. Vide & in Psalm. 96. f. 433.*

modum Legatus ille, qui Hispano talia exprobranti censere se, re-
 spondebat, serpentem Hispanicæ vocis fūco usum, cum Evam cir-
 cumvenire vellet e). Non, inquam, caninā certabimus facundiam,
 sed simpliciter hoc reponemus, qui istud objiciunt nobis, non vi-
 dere, quod hac ratione laudent nos verius, quam obtrecent: nisi
 contemnendam putamus eloquentiæ vim illam, quæ fontes im-
 plentur terrore & conjiciuntur in fugam: aut minus admiramur
 Ciceronis orationem, quæ Catilinam urbe expulit, quæ vel il-
 lam, quæ Licinio Poetæ civis Romani titulum asseruit f), vel et-
 iam blanditias, quibus credibile est ad Popiliam usum, antequam
 id faceret, quod se objurgantibus, quod sexagenarius virginem
 duxisset, futurum prædixit g). Possumus ergo de nostri sermonis
 formidoloso quodam tonitru non nihil confiteri, dum vicissim
 hoc auferamus, maximè opportunam ejus esse facultatem oportere
 in illâ dicendi specie, cum confici res nisi tonando ac fulmi-
 nando non potest. Quod profectò tum patuit, cum placuisset
 Deo multis roboratam seculis tyrannidem Romani Antichristi
 convellere ab sedibus suis & proturbare. Ad hoc enim mini-
 sterium delectus ipsi est Lutherus homo Germanus, quem & aliis
 dotibus insigniter, & vernaculâ imprimis facundiam ad miracu-
 lum instruxit, ut credere libeat, in nullius populi linguâ plus futu-
 rum fuisse nativi roboris, & ad rem tantam necessariæ severitatis.
 Quod magis mirari soleo, quid in mentem veniat hominibus qui-
 busdam nostris, non malis quidem illis, ut opinor, sed tamen pa-
 rum providis, qui auctoritati sermonis patrii sic demum rectè con-
 sulere se putant, si eum quàm proximè ad Gallorum lasciviam
 emasculent, aut insent Hispanico tumore, aut ingenii Thuscæ
 versutias doceant eloqui. Tanquam parum esset, harum
 nos gentium mores Germanæ gravitati malè congruos in-
 duisse, nisi & innocentem linguam corrumpamus insuper,
):(3 eaquē

e) Lanf. consultat. in Orat. contra Gall. p. m. 311. & ex eo Schottel,
 in opere de lingv. Germ. p. 23. f) Autor Dialogi de Oratorib. quæ
 vulgò tribuitur Quintiliano p. m. 550. Nec Ciceronem magnum Oratorem
 P. Quintius defensus, aut Licinius Archias faciunt: Catilina & Milo, &
 Verres, & Antonius hanc illi famam circumdederunt. g) apud Quin-
 til. lib. VI, c. 4. p. 289.

caque ad ludos, ad fabulas, ad quisquillas, ad, nescio tandem quas ineptias in gynacéo aliquo exonerandas abutamur, invito ejus genio, & magnâ cum infamiâ nostræ nationis, quæ ut pectore, sic ore semper mascula fuit habita. Non hoc est pomœria proferre lingvæ vernaculæ, sed eam peregrinis adulterandam extrudere. Vim ejus nemo vel intellexit Luthero melius, vel feliciore minusque affectato stilo expressit, ut ab ipso Deo hæc illi facultas concessa, non ærumnabili labore extusa videatur: adeo nulla in eo extranei sermonis imitatio, nihil adsciti, nihil fuci apparet; omnia domi nata & ex ipsius lingvæ ingenio dixeris eruta *h*). Quamobrem libris ejus germanicè scriptis admirabilem eloquentiam ipsos quoque hostes *i*) videmus tribuisse. Utique hic scriptor commendandus erat Teutonicæ facundiæ studiosis, non scribendi novum & mimicum genus ab exteris iisque subsannatoribus nostris emendandum. Sed hic est morbus ætatis nostræ: sordent nobis domestica; peregrinæ merces, etiam putidæ, etiam indecoræ habentur in deliciis. Olim sanior erat stomachus. Testis est Conradus Porta, gravissimi Theologus judicii, in oratione ante nonaginta novem annos habitâ *k*), *initio doctrina Evangelica multos Principes sapientes, vehementer alioquin abhorrentes à doctrinâ Lutheri, libros ipsius emisse, & legendos proposuisse scribis & aliis ministris aulicis, ut proprias & verè germanicas phrasas inde discerent l*). Etiam Adamus Theodorus Siberus *m*) ad Latinitatem excolendam scriptum aliquod Lutheri, quem incomparabilem, & nulli Græcorum aut Latinorum Oratorum se-

cun-

h) Dav. Chytr. in Orationib. p. 509. Lutheri oratio non tam stylo elaborata, quam naturali, seu potius divini Spiritus instinctu & adflatu fusa, verè spiritus & vita, seu ζωσιν λέξεις, viva verba sunt in animos & corda legentium penetrantia, & adfectibus verbis congruentes in illis accendentia. *i*) Dresser. lib. II. Orat. p. 225. In quâ (lingvâ Germanicâ) perpoliendâ & augendâ artificem fuisse Martinum Lutherum, etiam quibuscumque hostes ejus doctrina sunt, confiteantur necesse est. Bellarm. Lib. II. de gem. columb. c. 12. p. 237. — de multorum hæresiarum parente Martino Luthero, quæ lingvâ suâ Germanicâ eloquentissimus erat. *k*) Orat. de script. Lutheri, impress. Jen. A. 1571. (p. m. 12.) *l*) cum his conferendum judicium Jo. Sturmii libro Academico de Exerc. rhetor. p. m. 31. Lutherusannon quasi magister extitit nostri sermonis: sive puritatem consideres, sive copiam. Principum consilia, civitatum judicia, scriba omnes, omnes Legati ac Jureconsulti Germanici hanc laudem homini tribuunt Theologo. *m*) Volum. II. Dialect. Acad. p. 318, 319.

cundum vocat, vertere nos jubet, ac pronunciat, qui hec ita præ-
 stiterit, ut germanicæ dictionis vim ac majestatem germanam, &
 spiritum illum Lutheri latinâ dictione representet, eum non con-
 temnendos in utrâque lingvâ profectus, non pœnitendos in elo-
 quentiæ curriculo progressus fecisse. Ergo hic vir, quem magni
 & planè ad Musæ veteris genium ac laudem Poëtæ juxtâ ac Ora-
 toris elogio decorat utroque nomine par illi vel etiam superior
 Augustus Buchnerus *n*), ut latinè exerceamur ad Lutheri ger-
 manica nos mittit, idèque non voce tantum, sed exemplo suo *o*);
 delicatuli nostri, ut popularis lingvæ infantia nos exolvant, à
 Lutherò quàm longissimè abducti, quicquid exterorum aliquis
 vel apud Utopienses rerum novarum vidit, vel in fano Veneris
 obdormiscens somniavit, germanicâ veste induunt, seduloque
 provident, ne quid in loquendo remaneat nobis antiqvæ gravita-
 tis ac sanctimonia. Neque tamen ad res serias tanto impetu ra-
 pitur sermo noster, ut omnes refugiat jocos: verum ludit ut Prin-
 ceptis aliquis suæ dignitatis memor, non ut saltator thymelicus.
 Subinde enim inter ludicra se ad consuetam frontem recipit, neque
 infra suæ altitudinis temperamentum subsidit: id quod eidem *m*),
 quem toties laudamus, Luthero, quoties joculari libuit, solenne vi-
 demus nec difficile fuisse *p*). Cujus dictio præterea, ut in ob-
 jurgando vehemens fuit, acrisque in disputando, sic incredibile
 dictu, quàm dulcis in consolando, in hortando efficax, in docen-
 do plana & illustris extiterit: ut in eâ absolutum sacræ facundiæ
 exemplar omnis veneratura sit, quæ quidem sapiet, posteritas *q*).

Lon-

n) intim. funebri D. Pauli Røberi. *o*) Vide Siber. d. l. p. 320. *p*) In-
 spice sermones ejus convivales. *q*) Selnece. Part. II. postill. p. 8. *Vere pater*
fuit Germanica lingua (Lutherus,) Dresser. præf. lib. III. Rhet. p. 553. *Lutherus*
(germanicum sermonem) sic perpolivit & exornavit, ut magister ejus & omni lau-
de cumulatus Orator habeatur. Idem lib. III. Orat. p. 62. 63. *An non Lutherus ora-*
tor amplius, copiosus, gravis & ornatus omni jure habetur? quis unquam res majo-
res utilioresq; in Ecclesiâ dicendo illustravit? — quis acrius pugnabit, aut disertius ad-
versarios refutabit? Si cui verò vehementior aut pugnacior hujus viri oratio forte
alicubi videtur, is hoc responsum habeat: talem esse eam, qualem tempora, qualem
saecula, qualem adversariorum acerbitas & pertinacia, qualem denique corruptissimus
Ecclesiæ status desiderabit. — Est autem in dimicatione cum impetu quodam decur-
rit Lutheri oratio, & hybernis nivibus haud multum absimilis est: tamen in explica-
tione dogmatum & concionibus ipsis nihil est eâ sanius, nihil integrum, nihil quod ef-
ficacius mentes auditorum lectorumque permoveat atque feriat. Adde Schottel. oper.
 de ling. Germ. p. 49, n. 58, & p. 65, n. 41.

Longius evexit me dulcedo memoriae Lutheri, quam proposueram. Id volebam, cum linguae nulli Svada sic irata sit, ut viros disertos, modo excolatur, dare non possit: nostram quoque in laudem eloquentiae efflorescere potuisse, utut olim antiquissimis forte temporibus asperam faciem praeulerit. Nam ne quidem latina & graeca, quae jam diu facundiae gloriae ceteras supergressae videntur, si ultimam sui originem recordari velint, non inveniunt horridos ferrearum aetatum mugitus, & inficeta murmura. Quod imprimis de Latiali sermone C. Duillii rostrata probat columna r): nec de Grajo negaverit quisquam, qui vel dialectorum varietatem considerabit, quorum profectò non est eadem omnium gratia. Sed eloquentiam gentis nostrae copiosius demonstratam audire cupientes invitamus ad orationem crastinam, quam in Auditorio Collegii nostri publice recitabit hora octava matutina non minus eleganti juvenis ingenio quam splendidis hac in urbe natalibus SEBASTIANUS, SEBASTIANI b. m. Aedilis filius, OHEIM. Is enim cum Patronis suis, quos in Academia pariter & Ordine Senatorio habet sibi faventissimos, profectum in arte dicendi specimen edere decrevisset, hoc sibi praecipue selegit argumentum, in quo simul industriae vires experiretur, simul gratum se Germaniae civem ostenderet, probaturus, ne prae scis quidem Germanis facundiam defuisse. Quod nostrum est, utriusque Reip. Patres venerandos, observantiam us nostram praefati, rogamus, ut auscultare optimum Adolescentem dignentur. Quos autem ipse Orator noster socios habet studiorum, eos tanto cupidius interfuturos pollicemur nobis, quanto plus fructus ab exemplo disertae atque gravis orationis ad ipsos pervenire poterit. P P. Lipsiae d. 13. Maji Anno 1670.

r) ap. Ubert. Foliet. lib. II. de ling. lat. us. & praef. p. 92.

LITERIS WITTIGAVIANIS.

DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387




Sb.

Reho ✓


10/17

Handwritten text on a red and white striped background, possibly a library stamp or title fragment.





on A
unt in
obl
amu
biter
M. JA
Decar
initia
ME
ac pa
umq
bit.
terpr
Inive
naru
huj
retom
Anna
xplic
AN
in e
Geog
ANN
unt in
um f
e ver
omir
ac de
ca S
hara
uti fa
N. G
s huc
eotar
Anal
nt, &
is CC



B.I.G.

Farbkarte #13

DECANUS
COLLEGII PHILOSOPHICI
in Academiâ
LIPSIENSI

Lectori benevolo
S. Pl. dicit,
ab eoque, ut Orationi

de Germanorum Eloqventiâ
Politisimi Juvenis

SEBASTIANI OHEIM

d. 14. Maij hujus Anni M DC LXX.
interesse dignetur,
officiosè atq, amanter petit.

77

18.

22

